

05

A

2212

791.

Disputatio Politica

De

CAUSIS MUTA-
TIONUM RERUM PUBLI-

carum, quas vocant violentas,

quam,

Omnis boni ordinis Conservatore adjuvante,

PRÆSIDE

Dn. M. MICHAELE WENDLERO.

publicæ disquisitioni subjicit

MICHAEL STELTZNERUS

Gajerâ-Misn. Elect. Alumn.

ad d. 17. Sept. hor. pomerid.

in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI

ANNO M, DC. XXXVI



185

GAUSS M. A.
TONNERER IMPR.



W. ENDLERO.

MICHAEL STELLMEYER

1822 A 50

WILHELM
JOHANNES ROHNER
M. D. C. LXXV





In nomine Jesu!



*S*anctum & venerabile prorsus Reipubl. nomen esse, adeò ut unumquemq; in sui amorem cultumq; rapere facile possit, id equidem neminem latere confidimus, nisi qui se natum hominem penitus fuerit oblitus.

Nam, ut graviter ait Tullius, cum sic hominis *l. 5. de fin.* natura generata sit, ut habeat quiddam innatum quasi civile atq; populare, quod Græci πολιτικὸν vocant; quicquid ager queq; virtus, id à communitate & charitate atque societate humanâ non abhorrebit. Imò verò, quod pace summi Rhetoris dixerim, non tantum non abhorrebit, sed etiam ardentissimo pariter & constantissimo nixu ad prefixum illum scopum unice collimabit. Hoc ipsum uti verum est de omnibus omnium bonorum actionibus, ita sanè de illis, quæ à literatis suscipiuntur, esse solet, aut certè debet, longè verissimum. Ut enim persone histrionum, etsi pulchra, usum non habent, nisi facies applices: sic litteræ per se inanes sapientiæ admoventæ sunt. Nam solitarie illæ quid nisi levem oblectatiunculam aut otij deceptionem habent? cujus errores minuent? cujus cupiditates prement, quem fortiozem, quem justiozem, quem liberaliozem facient? inquit Lipsius ex Senecâ ita informatus, *Manuduct. ad Stoicam Philos. l. 1. Dissert. 2.*

Unde meritò improbamus hæc in parte Diogonem Cynicum, qui, in dolio constitutus, Solis calore mäluit incalescere, quàm ea, quibus humana vitæ usui esse poterat, curanda

A 2

susci-



suscipere. Summopere quoque detestamur Timonem, qui ab omni hominum conversatione seductus, ut erat inhumanissimis moribus, neminem ad colloquium admittebat, praterquam solum Alcibiadem Atheniensem strenuum quendam Ducem, quem non ob aliam causam sibi charum esse dicebat, nisi quod prospiceret, aliquando illum magno Atheniensibus malo fore. Ad inferos denique omni jure mittimus, bestialem dixerim an furialem, vocem, qua quis interrogatus, quid ageret, patrie se interitum parare, dixisse fertur.

Multò autem rectius nos facturos arbitramur, si, nostra, & natura, & conditionis memores, eò omnis vite studijque rationem transmiserimus, quò commune bonum, quantum est privato prestantius, tantò nobis impensius cura cordique esse appareat. Quod ut hac vice etiam fiat, animus est, in causas mutationum Rerum publ., quas violentas vocant, paulò diligentius inquirere, nihil dubitantes, fore, ut ipsa argumenti quæ gravitas, quæ utilitas nostros conatus adjuvet, aliorum verò, si non omnium, certe proborum, animos in attentionem alliciat, trahat, attrahat, quia & in eadem felicissime retineat.

Flaminis almetui nutu DEUS annue cœptis.

Thef. 1

193

T H E S I S

1. Multis, iisdemq; periculosis ut plurimum mutationibus obnoxias esse Respublicas, æquæ ac singulorum privatas, jam dudum observavit Juvenecus, idq; eâ judicij ἀκριβεία, ut tanquam omnis humanæ prudentiæ caput, operibus suis universis id ipsum præmitteret, & rotundè concludere:

*Immortale NIHIL mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera cœli.*

*In Prologo
libror,
suar. v. 1.*

Atque huic acutissimi Viri observationi exactè satis respondit decursus subsequenium quoq; seculorum omnium, ita ut nunquam tam magna fuerit regni cujusdam potentia, quæ non potuerit labefactari, frangi, everti. Proinde tanquam concessum assumentes, dari omninò crebras Rerum publ. mutationes, in id saltem incumbemus, ut earundem causas, quibus Imperia procelloso quasi impetu peti possunt, è profundo Veritatis puteo dextrè eruamus, & , quantum fieri potest, dilucido sermone genere proponamus.

2. Et sanè singulari hic opus est in eruendo solertiâ, in proponendo perspicuitate. Nam quod fit in plerisque alijs, ut falsitatis fucus sub aureo veritatis colore fraudulentè sese offerat, illud imprimis circa propositum nostrum τὸ πρόβλημα solet esse nimium perfrequens: Idq; nobis eò subolere consuevit ægrûs, quò plures, vertigine mentis correpti speculationibus plus æquo profundis, verbisq; obscuris rem totam incrustarunt. Quapropter mutationum Rerum publ. causas sub primo statim limine dispescimus in Spurias & Legitimas.

3. Spurias vocamus, quibus præter rem ejusmodi effectus assignantur: quales producuntur à variis variâ. Quidam enim confugiunt ad numeros; quam viam ingreditur Plato, contendens, quòd sesquitertia radix junctâ quinario, duas efficiat harmonias, ultra quas, cum natura postea deteriores gignat, circumactam periodum finire imperia. Quibus ipsius verbis solidè explicandis plurimi plurimum impenderunt temporis, conatu tamen non tam proficuo, quàm immensum laborioso. Sanè

*l. 8. Polit.
citante
Excellentiss. Dr. D.
Jacobo
Martini
l. 3. Polit.
p. 957.
958.*

A 3

Cicc.

Cicero in
Orat. &
l. 2. de Na-
turâ De-
or.
lib. 7. ad
Attic.
c. 1. Com-
mentar.
super hunc
locum.
Epist. 49.

in Conso-
lat. ad
Marciam
cap. 7.
lib. de Vi-
tâ Moysis.

l. 6. Noct.
Att. c. 2.
p. m. 207.
de Provid.
cap. 5.

Cicero, cui aliis Plato audit omnium, quicumq; scripserunt aut locuti sunt, & copiâ dicendi & gravitate Princeps, imò Deus Philosophorum, rebus hinc inde discussis fatèri tandem cogitur, Numero Platonis nihil esse obscurius. Pari modo Marsilius Ficinus, acerrimus ille Platoniorum *περὶ ἀριθμῶν*, cùm diu Apollinis auxilium ad explicandum istud numerorum mysterium vocasset, mox suspicari incipit, plus difficultatis inesse prædicto loco Platonis, quàm ponderis.

4. Nos non multùm sumus solliciti, qualis aut quotus Numerus Sibyllino isto folio involvatur Intellectui quippe, de hoc sciscitanti, oportune videtur exclamare Seneca: *Quid te torques & maceras in eâ questione, quam subtilius est contempsisse, quàm solvere?* Dicimus breviter, (1.) Quantitati (ad quam communiter Numerus refertur) nullam competere efficaciam, vel Platonis discipulis fuit utique notissimum, ut mirum sit, ipsi Magistro potuisse in mentem venire contrarium, qualemcunq; demum numerum, sive Planum sive Solidum, in ænigmate suo intellexerit. (2.) Si cuidam numero naturale est, Rebus publ. creare mutationes, non potest non sequi illud, eundem semper idem præstare: siquidem ea, quæ à naturâ vim acceperunt, eandem in omnibus servant, notante Senecâ. Assumas jam vel numerum quinquagenarium, quod facit Philo Hebræus; vel septenarium & novenarium cum utriusque eum Quadratis, tum Cubicis, quod arridet aliis; vel pro ingenij acumine, si placet, adhuc supponas alium: quicquid tetigeris, ulcus erit, cum Chronologiæ nunquam defutura sint exempla, quibus suppositum tuum infringat.

5. Deinde invenias nonnullos, qui causas, quas propter convertantur & evertantur imperia, conjiciunt in Fatum. Per Fatum autem intelligunt sempiternam quandam & indeclinabilem rerum seriem & catenam, volventem semetipsam sese & implicantem per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque sit; definiente Chrylippo apud Gellium. Hinc exclamat Seneca: *Scio omnia certâ & in æternum dictâ lege decurrere. Fata nos ducunt, & quantum cuique restet, prima nascuntur*

794

scientium hora disposuit. Causa pendet ex causâ, privata ac publica longus ordo rerum trahit. Idem prorsus, intendit Philostratus, quando ait: Dixi Fatorum legem adeò immutabilem esse, ut si cui alienum regnum aut imperium fata decreverint, isque ob suspicionem ab eo, qui regnum tenet, interficiatur, fore ut mortuus etiam suscitetur ab inferis; quò fatorum decreta effectum sortiantur.

6. Sed rectius, nostro quidem iudicio, Fatum illud Stoicum diceretur stolidum, cum hominem transformet in non-hominem, omnipotentissimum Dominum in impotentissimum mancipium. Quorsum enim homini intelligendi facultas, quorsum voluntas à Naturâ data esset, si inevitabili rerum externarum involveretur ordinè, ut, quod vel faceret vel omitteret, non potuisset non in civilibus eo ipso modo fecisse, vel omisisse. Pessimè cum ipso actum esset, si bonum cognitum politicum, tanquam lautissimas Tantali epulas, semper quidem ob oculos haberet, neque tamen ob invictam fati resistantiam liberè prosequi, adeoque attingere posset, quamvis insatiabili ejusdem desiderio excrutiaretur. Deo vero quid, nisi nudum nomen, relinquit fusus ille fatalis ex adamantè, quod aunt, conflatus? Illum certè nemo sanus pro Deo habiturus est, cui tota creaturarum series imperat, cui leges præscribit, cui manus quasi ligat, ut quanquam maximoperè cupiat, non possit tamen opem ferre supplicibus. Tantum ergo abest, ut huic fato respublicas committamus, ut potius è civitate nostrâ, & si fieri possit, ex toto mundo illud ipsum constanter proscribamus & pro virili expellamus.

7. Non desunt præterea, qui ortus & interitus rerum publicarum conjiciunt in motum terræ, quem eidem ascribunt vel secundum totum, vel secundum aliquam tantum partem.

8. Motum secundum totum arripit Copernicus, ita ut ex revolutione Eccentrici terræ Imperiorum revolutiones dependere contendat. Verùm præterquam quod ille suam Sphæram malè relinquit, & ex hypothesibus, quas gratis sibi sumfit, theses immotæ quasi veritatis constituit; ne fingi quidem potest, revolutionem istiusmodi regularissimam, quam prædicto Eccentrico.

trico tribuit, irregularissimas, quas nemo nescit, accersere mutationes; cum, ut antea innuebamus, causarum naturalium eodem modo se habentium iidem perpetuè dentur effectus.

9. Qui motum secundum partem, seu terræ motum Physicè ita dictum, in hoc negotio assumunt, egregiè & ipsi falluntur. Confundunt enim id quod vel signi tantum, vel causæ saltem per accidens rationem habet cum eo, quod per se ad effectum producendum concurrat. Concedimus omninò, insolitos terræ motus impendentis ruinæ posse existere omina, præsertim cum gloriosissimus Salvator noster prædixisset, interitum universæ Reipublicæ mundanæ ejusmodi *σεισμοίς* præcessuros esse. Et in suo meritò relinquitur assimio observationem Plinij, quæ disertè scribit: *Nunquam urbs Roma tremuit, ut non futuri eventus alicujus id prænuncium esset.* Damus etiam faciles, per accidens evenire posse, ut cum terræ motu naufragium patiatur aliqua Respublica, quatenus videlicet ejusdem subjectum, quod est civitas, unà cum suo receptaculo, Urbe vel Insula, abyssò immergitur; cujus rei exemplum viderunt tempora Tiberij, sub quibus duodecim Asiæ urbes terræ motu leguntur absorptæ; nec non tempora Constantini, quæ æquè duodecim oppida Campaniæ totidem ex terræ motu funeribus, ut ita loquar, recognoverunt. Sed neque de signis, neque de causis per accidens nobis in præsentia sermo est; proindeque terræ motum de jure hoc loco removemus.

10. Alij deniq; , missis terrestribus, cælestia protinus theatra conscendunt, & ex nobilissimis mundi corporibus, stellis videlicet, desideratas causas deducere præsumunt. Vicissim tamen in diversas abeunt sententias, ita ut quidam pugnent pro stellis Veteribus & Usitatis, quidam verò pro Novis & Inusitatis.

11. Qui pro veteribus certamen subeunt, assumunt vel totum cælestem exercitum, confisi penitus, ex Thematibus Genethliacis Urbium fortunam & ætates Rerum publ. optimè posse colligi; quod Cardanum & alios quosdam fecisse novimus; vel Superiores Planetas allegant, quorum Conjunctionibus magnis

Matth.
24, 7.
l. 2. c. 84.

Tacit. 2.
Annal.

795

gnis insignem imperia abolendi vim inesse autumant, vel deniq;
ad Luminaria Magna, in quantum sua patiantur deliquia, totum
negocium devolvunt. Nihil horum subsistere posse existima-
mus, rationibus adducti illis, quas immediatè subnectimus.

12. Stellæ enim in genere quod concernit, utut maximè
verum sit, quod Poëta exclamat;

*O quàm magna & quàm miranda potentia cœli est,
Quo sine nil pareret tellus, nil gigneret æquor!*

illam tamen potentiam determinato suo ambitu gaudere novi-
mus: quo fit, ut cœlum & astra mirificè agant in Elementa, in
Meteora, in Metalla, in Lapides, in Vegetabilia & in ani-
malia; in nostram verò animam, utpote spiritum, nihil juris
obtineant, nisi prout humores & spiritus tam vitales, quàm ani-
males, quibus tanquam organis in agendo anima utitur, diversi-
modè afficiunt, diversimodè inclinant. Postquam ergo extra
dubitationis aleam positum est, à voluntate hominum Politias
constitui, constitutasque dirigi; utique indubium quoque erit,
nihil illis periculi metuendum esse ab astris, nihil à diverso stel-
larum situ. Hinc rectè Cassius, cum à Chaldaeo veraretur, Par-
thos bello lacescere, priusquam Sol Scorpij sidus egressus esset
Non, inquit, Scorpiones metuo, sed Sagittarios; alludens nimi-
rum ad Parthos, quorum sagittis Romanæ legiones sub Crasso
fusæ & prostratæ fuerant; referente Admod. Rev. & Excell. Dn.
D. Jacobo Mart, ex Plutarcho. Atq; sic omnis Cardani labor,
quem Urbium Genethliacis impendit, ultrò corruit & in fu-
mum abit.

*l. 3. Pol.
c. 2. p. 968.*

13. Idem possemus reponere ad sententiam illam alteram,
quæ Conjunctionibus Magnis plus æquo tribuit. Nimirum
non negamus horribiles istos Aspectus horrendas minitari cla-
des, sterilitates, eluvia, pestes &c. Sed quid hæc ad actus liberos?
Quò accedit ratio ex Astronomico calculo desumpta, sugge-
rens hoc, quòd talis Conjunctionis post annos demum octingen-
tos possit recurrere, adeoque à tempore conditi Mundi vix se-
ptima nostro seculo apparuerit; cum interim quod & quantas
mutationes Respublicæ plurimæ fuerunt expertæ, in quanta pe-
ricula, Planetis ut plurimum satis à se invicem disjunctis, in-
ciderunt?

Keplerus.

B

14. Ad

14. Ad Eclipses quod attinet, loquuntur sanè historiæ, tanti eas duxisse quàm plurimos, ut vel sibiipsis vel alijs inevitabilem ruinam exinde prædixerint. De Gallis commemorat Polybius, quòd sub Attalo Rege melestias itineris bellicas ægrè jam pridem ferentes, cum Luna defecisset, mox loco ostenti defectum istum duxerint, ulteriusque progredi ad unum omnes recusaverint. Et de Agathocle, Sicilia Tyranno, refert Justinus, quòd, militibus ob deliquium Solis graviter consternatis, disertè pronunciaverit: defectus naturalium siderum semper præsentem rerum statum mutare; certamque esse florantibus Carthaginensium opibus, ad versisque rebus suis commutationem significari. His & consentientibus alijs opponimus Eclipsium quàm originem, quàm frequentiam & multitudinem. Illa enim, cum naturalis sit, & ordinarias suas agnoscat causas, nequaquam certè patitur *συμπράματα* illa Rerum publ. quæ diversis diversissima sunt, exinde deduci. Hæc, cum vel à pueris animadversa sit, quoties è sede suâ Imperia deturbaret, si tantum in illa potentia possideret!

pag. 358. 15. Neque tandem illi quicquam obtinent, qui stellas novas, quas Cometas salutamus, Regnorum impugnatores & eversores producant. Facit hoc non obscure Ptolemæus Aphor. 100. & Mizaldus l. 2, Cometograph. & Peucerus de Divinat. qui, nomine quasi reliquorum omnium, disertis verbis de Cometis tale fert iudicium: Non mortes tantum, infligere, atque exitia, pestiferis aere infecto confertoque halitibus, æstusque commovere, ac procellas, & terræ motus, torrefacto aere, corporibus ceu ustulatis, & humore epoto atque in fumum soluto; sed bella seditioneisque, concitare omneque violentum, sævum, exitiale, mortiferum, cruentum, incertum, varium mobile inferre, quotiescunque enituerint, consensu gentium certum est. Et quidem exemplis hæc in parte se satis divites probare satagunt, moxque concludunt: *ἔδειξεν κομήτης, ὅτις τὸ κακὸν φέρει.* Quin rationem insuper in medium afferunt, dicentes, quòd Cometæ præternaturalem in aere calorem, variosque fumos vitiosos excitent, qui intra sanguinem & spiritus humani corporis recipiantur, unde postmodum oriatur odium, invidia, contentio.

796
rentiones, bella, & consequenter periculosissima imperiorum
commotiones, translationes.

16. Nobis utrumque fundamentum exactius pensitantibus,
neutrum videtur satis probè munitum: quapropter, unum vel
alterum contrà directuri arietem, mox explorabimus, quid vale-
ant, quid ferre recusent. De exemplis, quibus tantoperè su-
perbiunt, dicimus: 1. Adhuc inter res nondum judicatas habe-
tur, an semper ejusmodi perniciosus effectus, quem isti putant,
cujusque Cometæ exortum subsequatur. En! paribus armis
congruemur, & exempla exemplis demoliemur. Paulò ante
nativitatem Christi conspectus est Cometa, de quo Sibylla Au-
gusto consulenti respondit: Hic puer te major est; hunc adora.
Eadem prædixit, Cometam istum significare Christianam reli-
gionem. Anno Christi 1439, apparuit Cometa, quem non
alius eventus excepit notabilior, quàm divina artis Typogra-
phicæ inventio. Ille, qui Anno 1505. prodit, importavit sum-
mam rerum fertilitatem. Sic Cometam, qui fulsit Anno 1516.
oppidò subsequenti anno secuta est Reformatio per D. Luthe-
rum instituta, quâ nihil Ecclesiæ potuisset obtingere salubrius,
nihil utilius. Et magnus ille Scaliger experienciâ edoctus testa-
tur, multos à se Cometæ esse visos, quos nulla usquam totâ in
Europâ subsequuta fuerit pernicies mortalium, 2. Posito, omnes
& singulos Cometæ quos Terræ videre licuit, conjunctos fuisse
cum vehementissimis status publici conquassationibus; adhuc
tamen in quæstione est, eosdem harum, & nihil præterea, extitisse
causas. Posse enim res etiam longè diversissimas, quibus
nulla prorsus Causalis habitudo intercedit, vel simul existere,
vel se mutuò consequi, id quidem manifestius est, quàm ut pro-
batione indigeat.

17. Adducta contradicentium ratio (1.) Aristotelicæ niti-
tur hypothese, ac si videlicet Cometæ generentur ex halitibus
pinguibus & bituminosis, sulphureis & nitrosis, qui copiosè spar-
gantur per aerem, tum ante istius Meteorii, quod creditur, in-
flammationem, tum post factam extinctionem; quemadmo-
dum extinctâ candelâ sebaceâ fumi foetidi exspirare soleant. Id
verò quàm falsum sit, dudum animadversum est ab emunctio-
nis naris Physicis, & demonstratum à Mathematicis, constan-

Anno M.
3947. Vie
de Alsted.
Chrono-
log. c. 55.
p. 485 seq.

Exercitat.
79. sect. 2.

ter attestantibus, non aere, sed in æthere, quò nulli ejusmodi halitus pertingere possunt, vel generari, vel à Deo creari; ad quorum scholas lectorem remittimus. Sed & hic agemus liberalius, & (2.) ex abundanti admitteremus, noxios halitus à Cometis, ubiubi generentur, in aëre excitari, excitatos sanguini & spiritibus hominum immisceri, immixtos satis acriter perferentisci; nihilominus tamen in potestate hominum relictum est, stimulis istis resistere, atque sic imminencia mala prævertere. Quod nisi esset, Deus procul dubio à crudelitate, quin & à scelerum, nefandorum fabricà absolvi per omnia non posset; quod vel cogitare summa nobis religio sit.

18. Conclusum ergò nostrum universale est: Mutationes Rerum publ. non dependent à Stellis complexè sumptis, neque à Conjunctionibus Magnis, neque ab Eclipsibus, neque à Cometis, neque ab alio, si quis dari potest, influxu æthereo: Imprimis cum rationibus specialibus modò allatis accedat ista generalis, quòd tragica sæpè mortalibus evenerint, ipsis astris non tantùm nihil mali intendentibus, sed aureos insuper montes utrâque quasi manu porrigentibus. Idcirco Medicus quidam Judæus Petro Castellæ Regi, cui ipse ex Horoscopo nova imperia & felicissimos successus prius addixerat, desperatis postea rebus, quærenti, quæ vancinij fides constaret, bellè respondit, Cœlo rigente, si quis in balneo lavet, sudaturum nihilominus: facietè subinnuens, non tam cœlestium corporum influxum, quàm quid eundem vel adjuvet, vel impediatur, attendendum esse.

Johann.
Mariana
l. 17. de
rebus
Hisp. c. 14.

19. Remotis jam causis spuris, legitimas sine morâ investigamus. Primus enim (juxta Lactantium) sapientia gradus est falsa intelligere: secundus vera cognoscere. Illarum alia est Universalis, alia sunt Particulares.

l. 1. de fal.
rel. c. 23.

20. Causam Universalem, sine cujus concursu nullum Imperium vel aboleri, vel in aliam formam transfundi potest, statuimus esse DEUM ter Opt. Max. Simpliciter enim repudiamus omnes illos, qui vel turpe Supremo Numini oecium, vel cœlestium rerum duntaxat curam attribuunt: idque ex libro tùm

Scri-

Scripturæ tum rationis melius informati. Scripturæ testimonia Electro, quod ajunt, lucidiora sunt. Ipse (JEHOVA,) inquit Daniel, *mutat tempora & etates, transfert regna atq; constituit.* Consentit Samuel, dum Saulem ita alloquitur: *Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Alia loca Parallela in S. Codice hinc inde obvia sunt. Per rationem ita colligimus: Si verum est, Divinâ Providentiâ (totum) mundum administrari, Deumque consulere rebus humanis, non solum universis, verum etiam singulis; quod vel Orator Ethnicus agnovit: quis Christianorum negare audeat, principales illas Universi partes, Respubl. sub Divino regimine contineri, ab eodemque volvi & revolvi? Si verum est, Deum rerum etiam minimarum curam agere; quod demonstratu difficile minimè esse Philo pronunciauit: quis nostram Objecta illa nobilissima, quæ societates publicas vocamus, à curâ illâ excluderet? Si verum est, *ὅτι ἡ πόλις ἐξ ἑνὸς θεοῦ ἐστὶν ὡς ἡ πόλις τοῦ θεοῦ*, ut habet effatum Trismegisti: quis Regiam illam omnipresentem à foro, à curiis, à throno regio exulare suspicaretur?

Dan. 2. 21.

1. Sam. 15. 28.

Cic. l. 1. de Divinat.

Phil. X. de L. pag. 955. l. de providentiâ & Fato.

21. Lucis præterea non parum sententiæ nostræ affundunt vaticinia & signa, quæ sapissimè honores regios diu ante assignarunt iis, quibus nihil minus per naturam videbatur competere. Daniel ille vates & Sibylle multis antè seculis multa & magna prædixerunt: unde, & quomodo, nisi quia in Providentiæ libro hæc descripta, & Deus revelaverat? Nam ita amat Numinis illa benignitas, per somnia, per signa, per spectra & vaticinia res futuras ostendere: Divinitati suæ astruendæ, nobis instruendis aut præparandis; ut emphaticè scribit Lipsius. Imò in mediis gentilibus mi tenebris, quantum Deus in disponendis valeat imperiis, satis superque deprehensum est. Unde M. Antonius ad Verum collegam scripsit de Avidio Cassio: *Si divinitus ipsi debetur imperium, non poterimus ipsum interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi tui (Adriani) dictum: successorem suum nullus occidit.* Re-

In Monit. Exem. pl. Polit. l. 1. c. 5. Monit. 5.

pag. 359.

22. Sed tamen in causâ istâ Universali subsistendum non est, quandoquidem Deus nostris plerumque moribus, nostrisque

B 3

conf.



consiliis Imperia mensurare solet. Particulares ergo inquirenda sunt, quibus Rerum publicarum corruptelæ, liberrimo DEI arbitrio præsupposito, suam proximè debent originem. Facimus eas duplicis ordinis, Internas & Externas. Internæ nobis sunt, quæ ab ipsis Imperij membris proveniunt. Et hæ vicissim emergunt duplices, Communes scilicet & Propriæ.

23. Communes, quæ Imperantibus & Subditis (partibus cujuslibet Reipubl. essentialibus) ex æquo possunt competere, ad quatuor quasi classes commodè referri putamus, ita ut sit 1. Impietas, 2. Prava liberorum educatio, 3. Intemperantia, & 4. Luxus.

*Eurip. in
Cyclop.
vers. 334.*

*Porphyr.
l. 3. de ab-
stinent.
p. 132.*

24. Per Impietatem notamus non modò extremum hujus ipsius monstri gradum, qualis erat in Cyclope Euripideo, scelestè eructante, se non Diis, sed ventri mactare victimam, qui maximus sit Deorum: Verùm etiam meretricium religionis fucum & superstitiosum pietatis zelum. Nihil horum diuturnum regnis vigorem relinquere, abundè patet per exempla, per rationem, & per suffragia. Thæes, qui in confinibus Thraciæ morabantur, cùm neque primitias cujusque rei solverent, neque Diis sacrificarent, ita sunt de medio hominum illis temporibus sublatis, ut neque habitantium vestigium aliquod, neque urbis, neque domorum fundamenta quisquam invenire potuerit. Ubi Judæi incipiebant deflectere à viâ præceptisque Domini, adeo ut vix avitæ pietatis umbra appareret, continuo Tyrannos sibi manus injicere, & crudeliter sibi dominari experiebantur. Cum iidem eò dementiæ venissent, ut præter verum DEUM Israëlis colerent etiam Ammonitarum Malchom, & Sidoniorum Baalim, & nescio quam Melech; effecerunt, ut in captivitatem septuagenariam abducerentur, propriumq; sceptrum amitterent. Cùm denique, omni quasi religione abjuratâ, evaderent Θεόμαχοι & sceleratas, Filio Dei non dubitarent inferre manus; factum est, ut à Romanis, tanquam à superveniente turbine, de terrâ benedictâ expulsi, in omnes mundi angulos disjicerentur, & tantùm non radicitus excinderentur.

25. Rationes si quis desideret, non quæremus vel ostiatim, vel cumulativè; unicam producimus, uti simplicissimam & quasi do-

si domesticam, ita firmissimam. Pietatem omnium legum, omnisque honestatis, & sine quibus Respubl. stare nequit, fundamentum esse unicum, quis hominum, si sanus sit, ignorare potest? Athenienses sanè Diagoram, quem Deos negasse perceperant, usque adeò detestati sunt, ut ei, qui Atheum istum occidisset, talentum argenti præconis voce præmij loco offerrent. *Diodor. Sic. l. 13. c. 6.*

Quare hoc? quia nimirum noverant, Civitati omnium maxime interesse, Deorum timorem in populo perpetuò conservari, à nemine in dubium trahi, aut quovis modo labefactari. Quod si ergò fundamentum istud alicubi tollatur, mirum profectò non est, illicò superstructam machinam moveri, inclinari, everti.

26. Atque hoc luculentissimis verbis exprimit Salomon, Rex ille, quo sapientiozem nulla ætas habuit, quando ait: *Aufer scoriam de argento, & egredietur vas purissimum: aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur justitiâ thronus ejus.* *Itemque, Græcæ sapientiæ Oraculum, Solon, in Elegiâ quadam à Demosthene citatâ, ita concinens:*

*Non urbem Superi, capiunt evertere nostram,
Et nobis, nisi sint Numina laesa, favent.
Ipsi sed Patriam sceleratis mentibus ultra
Conantur Cives dilacerare suam.*

Quibus effatis qui fidem derogat, is Divinæ & sanctitati & justitiæ mirum quantum detrahit, ac si pessima impiorum nequitia impunita semper transeat.

27. Impietati pravam liberorum educationem subnecti- *l. 15. de R. mus. Scitè inquit Tholosanus: Contemptus institutionis puero- publ. rum & hominum, ex ignorantia mandatorum Dei, facile corru- p. 1070. ptos in Respubl. inducit nutritq; mores, qui cum adoleverint, universum cætum civilem & Respubl. & ejus administrationem con- turbant, & sæpè, nisi pœnis acerbissimis maturè coërceantur, con- vellit. Ipsa natura videtur nos hâc in parte sufficienter infor- mare. Ager, quem quis sub vere & æstate tribulis condensari passus est, numquid Autumni tempore exuberabit uvis? Quo- modo ergo civitas, cujus omnes partes deterrimis vitiis in infan- tiâ*



ciâ imbutæ, in adolescentiâ obduratæ sunt, dulces illos virtutum publicæq; salutis fructus exhibebit? Equorum pulli generosam illam audaciam peritiamq; in bello, ad quam instrui possunt, nunquam tibi probabunt, si educatione deserantur, utut copioso pabulo corpulentos reddideris. Ita ex liberis nunquam tibi promiseris Alexandros vel Cæsares, quos tanquam Sardanapali posteros, neglectâ educatione, nutriti, quorum & mentis & corporis nervos voluptatibus fregisti. Nunquam habebis Anacharsidem, in quo educando delicatam & luxuriosam rationem tenuisti; nunquam Aristidem, quem in tenerâ ætate rapinis & latrociniis consecrasti, adaptaſti.

*Plato III.
de LL.*

28. Illustrissimo exemplo rem declarabimus. Cyrus à juventâ per totam vitam militiâ occupatus, mulieribus filios tradidit educandos: quæ ipsos ut felices statim pueros atque beatos, nullius indigentes rei, sic educabant, ut prohiberent, ne quis eis, tanquam omni ex parte beatis, aliquâ in re adversaretur, cogentes, omnes, quicquid ipsi dicerent aut facerent, laudare. Unde tales evaserunt, quales fieri conveniebat eos, qui in summâ rerum licentiâ nutriti fuissent. Cùm igitur mortuo Cyro rerum potiti sunt, utpote qui deliciarum & impunitatis ac licentiæ pleni essent, primùm alter æqualitatem non ferens, alterum interfecit, deinde ipse ignorantia ebrietateq; furens principatum perdidit.

*Palingenius in
Capric.
p. m. 281.*

29. Quod autem præsens historia probat de illis, qui ad clavum Reipubl. sedent; idem obtinet de subditis, adeo ut si in illis etiam prima concoctio (educatio) non rectè fuerit peracta, secunda postmodum (gubernatio publica) nunquam satis felix sit futura, sed cum perpetuâ *divergentiâ*, imò cum interitu tandem conjuncta. Ratio in proparulo est; quia ut Poëtæ verbis utar,

Illæ diu durant, animisq; tenaciter hærent,

Quacumq; à primis nascentes hausimus annis.

Et cùm aliâs naturâ proclives feramur ad malum, fit, ut longè tenaciores simus illorum, quibus animus noster deformatur, & unde nil nisi perniciës Reipubl. ebullire potest, quàm quibus & nobis ornamento, & bono publico usui esse possumus.

30. Intemperantiæ nomine, quam & ipsam inter commu-

nCS

799

nes Rerumpubl. pestes numeramus, intellectam volumus totam istam colluviem vitiorum, quæ in excessu circa corporis voluptates committi possunt, sive in nimia cibi potusq; ingurgitatione, sive in illicito Veneris usu consistant. Assertionem autem iterum munimus partim per exempla, partim per rationem. Quid Antediluvianorum & Sodomitarum libidines fuerint expertæ, prolixè non persequemur: Scripturæ hoc relinquimus, & ipsa Elementa testes citamus. Causam, cur Arbaces regnum invasit Asiæ, & transtulit in Medos, fuisse nimias Sardanapali delicias, communis Historicorum consensus evincit. Per eundem etiam constat, Xerxem, dum inexplebili voluptatum desiderio flagraret, ut publico edicto præmium ei proponeret, qui novum genus voluptatis reperiisset, mox amplissimo regno ruinam dedisse. Urbis Troianæ excindendæ causam præbuisse Helenæ raptum à Paride, lippis etiam & tonsoribus, quod ajunt, cognitum est. Stuprum Lucretiæ à Tarquanio illatum planè novam formam Politicæ Romanæ impressit. Cùm Sybaritæ semper novas voluptates & gulæ irritamenta invenirent, à Crotoniatis devicti, & urbs illa luxuriosa cum suis voluptuarijs everfa est.

31. Et qui eventus subsequi potest melior? Ea enim Intemperantiæ malignitas est, ut ingenium memoriæq; corrumpat, virulentum membris torporem injiciat, totumq; hominem ad actiones quæ privatas quæ civiles inhabilem efficiat. Proinde necessario corpus ejusmodi corruat oportet, in quo neque caput, neque membra, neque rex, neque subditi suo amplius officio perfungi possunt.

32. De luxu denique idem judicamus: Per luxum intelligentes nimiam illam magnorum sumptuum profusionem, quæ in ædificijs, in convivijs, in vestibus & hujusmodi alijs splendide & magnificè præter modum adornandis sese exercit. Videamus exempla. Bacchiadarum regnum apud Corinthios cum ad ædium potentia gradum pervenisset, tandem per immoderatam luxuriam penitus dissolutum est. Romani extruendo aurea sua Amphitheatra & Theatra, lectos & mensas argenteas, quid aliud, quàm aggeres & crates, ex quibus per civile bellum se ipsos oppugnare possent, construxisse videbantur? piscibus inhiando transmarinis, quorum unicus non rarò boyis æstima-

C

tionem

tionem superabat, nonne seipfos, piscium instar, in pernicipi lutum coniecerunt, & fluctibus discordiarum miserè involverunt? bina ac terna patrimonia singulis auribus suspendendo & fundis ornati incedendo per vias, (ut phrasi Plautinâ proferamus) annon hostes suos ad opimam prædam ita invitarunt, ut postea thoracibus ferreis vix ac ne vix quidem tueri se potuerint? De Colophonijs & Pœnis; itemque de Atheniensibus & innumeris alijs simile ostendere, multæ fortassis operæ non esset.

33. Exemplis addimus fundamentum. Nam, præsupposito, quod juxta Poetam sit

Luxus populator opum, cui semper adherens

Infelix humili gressu comitatur egestas:

Quantum ad Principes attinet, si semel isti vitio emancipari cœperint, ærario exhausto & vectigalibus absumptis haud quicquam dubitant, hyænae instar, in subditorum bona irruere, & de ipsorum quasi sanguine epulas sibi instruere, adeoque vitalia ipsius imperij petere, modò egestatem à se avertant & detestabilem suam expleant libidinem. Populus verò luxu fractus, quicquid majorum labore partum est, furorum more depascit, tandemque egestate circumventus, ut lupi fame, ad prædas unde unde quærendas, & ad perniciosissimas turbas facillimè agitur. Summatim comprehendimus: Opes sunt nihil aliud, quàm nervi Republicæ, unde, iisdem luxûs novaculâ succisis, nil nisi ruina superest.

34. Hucusq; Causæ communes, Propriæ, quibus jam proximus debetur locus, dicantur illæ, quæ vel Imperantibus tantum, vel tantum Subditis conveniunt. In Imperantibus præcipuè notamus quatuor; videlicet Regnandi ignorantiam seu imprudentiam, Injustitiam, Ambitionem & Avaritiam.

35. Gubernandi ignorantiam Politij maximè exitiosam esse, nemo inficiabitur, qui, quid sit gubernare, quantumq; difficultatis alat, ritè tenebit. Rectissimè Plato Respub. tum demum *Cir. ad Quint. Fr.* beatas fore putavit, si aut docti aut sapientes homines eas regere cœpissent, aut, qui regerent, omne suum studium in doctrinâ ac sapientiâ collocassent. Contrà verò summam infelicitatem & interitum urbis Trojæ collocarunt Poetæ in eo, quod Palladium amiserit, id est, sapientiam & consilium. Et, ne videamur figmentis pugnare, cogitetur, quantam dissipationem re-
gno

800
gno Judaico dederit Roboam, stultissimus ille Sapientissimi Regis filius; tantam certè, ut uno die integrum fermè regnum perdidit.

36. Non repugnamus quidem, per prudentes Consiliarios non nunquam suppleri id, quod ipsis Principibus quoad iudicium deest: monemus tamen & illud, frequentissimè fieri, ut tales Principes jam malis consilijs circumveniantur, jam bonis sese duci non permittant, atque sic utrovis modo maximis suis periculis exponant. Sic Ahasverus sanguinolento Hamanis consilio ita irretitus est, ut populum Dei funditus delere animum induceret, publicè ediceret. Et Neronem, instinctu Consiliariorum suorum, multa contra dignitatem suam fecisse, testis est Xiphilinus. Cyrus Cræso dissuadenti expeditionem contra Tamyrim, Massagetarum Reginam, imperandi libidine accensus, non obtemperavit, quo ipso totum penè exercitum pessum dedit. Longum foret Xerxis imprudentiæ, & quas ea infligit subditis, cladum contexere catalogum. Laudamus illud Plutarchi: *Qui navem gubernant, alienâ voce jussus, utuntur: sed qui Rempub. gubernant, in seipsis sapientiam habeant oportet, ut non sit opus voce alienâ.*

In Nerone.
Herod. l. 2.

37. Porro quosdam prudentiâ sufficienter instructos, & tamen Reipubl. exitiosos fuisse constat, non habitâ Justitiæ ratione. *Ut justitia sine prudentiâ nihil prodest, sic sine justitiâ nihil valet prudentiâ;* scribit ingeniosè Cicero. Concordat Lipsius; *Quod Sol est in mundo, iniquitas est in imperio, quæ nisi imperiorum omne corpus illuminet, tenebræ in ijs, tempestas, nimbi.* Verè, dixerimus, tenebræ, verè tempestas, verè nimbi. Tenebræ & obscuratio bonarum legum; tempestas concomitantium scelerum, nimbi subsequendum pœnarum. Ubi enim injustitia, ibi corruptelarum fumus (sub quò eò tutius peccare liceat,) aspergitur legibus Divinis, aspergitur humanis, aspergitur cæteris. Ubi injustitia; ibi fraudum omnis generis suboriuntur nubes, profiliunt rapinarum exhydriæ, fulgurant libidinum flammæ, fulminea tyrannidis tela cum terribili fragore decidunt.

2. Officior.
l. 2. Civ.
Doct. c. 10.

38. Vis contueri nimbos? en tibi vehementissimos! Amplissima Benjamitarum tribus viginti quinque millibus suorum civium

Jud. 19.
& 20,

in Thyeste.

civium diminuta & tantum non tota deleta est, cum recufasset ad poenam trahere vel sistere Gibeonitas, qui stuprarent Levitæ conjugem, cujus rei infallibilem testem habemus Spiritum S. Lacedæmonij, cum impune dimitterent nebulones, qui filias Scedasi stupratas & occisas in puteum conjecerant, eo ipso in loco, quo vitiosissimi dictorum scelerum halitus ascenderant, à Thebanorum legionibus, tanquam turbulentissimis catarractis, fuerunt obruti, prostrati, submersi. Corinthiorum urbs funditus debebatur à Romanis, cum Legatorum violationem debito in autores supplicio non expiarent. Manet proinde, quod nobiscum sentit Seneca: *Ubi non est pudor, nec cura juris, sanctitates, fides, instabile regnum est.*

39. Porro videamus etiam, quid boni præstet ambitio & regnandi cupiditas. Dicit vix potest, quantum illa perniciæ attrahat imperijs, ubi semel gubernatorum animos attentare coepit, sive inferiores spectemus, sive superiores. Inferiores quippe, altis nimium spiritibus agitati, dum sibi summum dignitatum fastigium deberi autumant, protinus non desunt in id incumbere, quo scopum illum quocunque modo obtinere queant. Hinc jam fraudibus rem adoriuntur, & calumniis traducunt illos, quos se conspiciunt eminentiores; jam ad arma deveniunt, & vel ipso Civium sanguine ad sceptrum emergere contendunt. Certamen ejusmodi ambitiosum, non sine maximo periculo, experta est Respubl. Atheniensis à Clisthene & Isagorâ, à Pericle & Cimone, à Niciâ & Cleonte; Romana à Mario & Syllâ, nec non à Cæsare & Pompejo; quæ omnia prolixè persequuntur Historici, Herodotus, Plutarchus, Plinius, Florus & alij.

40. Magistratum verò superiorum *Φιλαρχία* tantò videtur esse peior, quantò viribus, quibus se diffundere potest, existit major. Quando enim gloriam intra ditionis suæ limites contineri ægre ferunt, continuo nec Divinis nec humanis parcunt legibus, imò nec fœderibus, quantumvis sanctissimâ fide sancitis: sive jure sive injuriâ, sive ex suspitione, quos sibi obstituros implendæ ambitioni existimaverint, eos tollere omni studio satagunt, regnum sibi per scelera detestabilia, ferro, igne & immanitate amplificantes. Fortassis autem amplificatio ista, si non excusari, suo modo tolerari posset, nisi Euripo esset inconstan-

tior,

rior & cum maximo paterni regni dispendio plerumq; conjun-
 cta: quod quam sit per frequens, historiarum iterum ostendunt,
 monumenta. Dum Græciæ Civitates voluerunt imperare sin-
 gulæ, imperium omnes perdiderunt; teste Justino. Animi elati-
 o ac dominandi cupiditas in Perseo in causâ fuit, ut à Persis ad
 Romanos Monarchia transferretur: quâ ille motus Demetri-
 um fratrem veneno per Didam sustulit, patri quoque Philippo
 infidias struere cepit, Romanos contra se excitavit. Summa
 fit: Regnandi cupiditas voracissima flamma est, quæ ubi semel
 in Imperantibus exarsit, possessiones quantascunq;, nisi maturè
 restinguatur, absorbit.

lib. 8.
 Plutar-
 chus in
 Æmylio.
 Livius l.
 4. § 5.

41. Haud absimilis Catastrophe avaritiam consuevit exci-
 pere. Avaritia quos occupat inter Principes, eosdem impellit
 ad injurias, ad subditorum, expilationes, ad omnis pietatis con-
 temptum. Qualia verò Injustitiæ & impietatis soleant esse præ-
 mia, ex antea allatis constare potest. Nec desunt exempla spe-
 cialia, quæ pro nobis contra avaritiam militent. Mauricius
 Imperator, Cappadox genere, & successor in Imperio Tiberij
 Jocerii, primum ob avaritiam desertus à militibus, à Phocâ Cen-
 turione limitis Scythici captus, & securi percussus fuit. Et rur-
 sum idem Phocas, eo non melior, ob eundem avaritiæ morbum
 contumelijs affectus, postquam annos tredecim regnasset, è me-
 dio sublatus est. Cupiditas possidendi pecunias, & inexplebilis
 illa exactio, quam Mammæa, Alexandri Imperatoris Romani
 mater exercebat, primaria causa fuit defectionis ab Imperio
 Africæ, & malorum odijq; popularis in ipsum Imperatorem.

42. Quid multis? Si avaritiam lupum dixerimus, à vero
 multam profectò non aberrabimus. Qui ergò ratione ovile,
 immisso lupo, salvum est: eadem etiam Respubl. quam avaritia
 invaluit. *Avaritia*, inquit Sallustius, *bellua fera, immanis, intole-
 rada est: quò intendit, oppida, agros, fana, atq; domos vastat, divi-
 na cum humanis permiscet, neq; exercitus, neq; mœnia obstant, quo
 minus vi sua penetret.* Quare Batto, Cæsare Tiberio percontante,
 cur ita deficerent à Romanis Dalmatæ, planè ad mentem no-
 stram de avaritiâ judicans, *Vos ipsi, dixit, in culpâ estis, qui ad ve-
 stros greges custodiendos non canes, pastoresve, sed lupos mittitis.*

Epist. 11. ad
 Cæs. de
 Rep. ord.

C 3

43. Cau-



43. *Causarum in subditis, quas propter imperia ex bono statu in profundum ruere contingit, tres assignamus notabiliores, videlicet ingratitude erga Deum, inobedientiam erga magistratum, seditionem denique & discordiam inter se invicem.*

Pet. Rav. 44. *De ingrati animi vitio in genere verum est, quod dicitur: Nihil est, quod adeo indignationem provocet Altissimi, sicut ingratitude: ipsa est malorum provocatio, beneficiorum exinatio, meritorum exterminatio. Hoc loco autem illam specialiter notamus ingratitude, quæ homines maximum illud beneficium, quo per pii Magistratus concessionem à Deo affecti sunt, vel plane non agnoscunt, vel certe debito modo recompensare turpiter omittunt. Hanc Deus sæpissimè, ut multis aliis, ita imprimis eam ulciscitur pœnâ, ut tyrannorum immisionem commune bonum affligat, & lascientes subditos ferreo quasi jugo coerceat. Fidem facimus exemplis. Propter Israëlitarum ingratitude, Supremo vindice, factum est, ut clementissimum Samuelem exceperit Saul severissimus, ut Salomoni successerit Rehabeam, ut Ezechiam Manasses fuerit secutus. Atque sic subditi ejusmodi ingrati videntur similes equis, qui, leniore regimine abutendo & continuo sessoribus excussionem minitendo, eò suum adducunt dominum, ut duriore rectore immisso, fuscillis & calcaribus indomitos compescat.*

*Wide The-
tr. Polit.
M. Rein.
hardi
Königs
pag. 178.
lib. 5. de
obed. p. 40.* 45. *Per inobedientiam, de quâ diximus, immensa sese insinuat vitiorum lerna, qualia sunt sinistra de magistratu opinio, odium adversus eundem & malevolentia, reverentiæ & modestiæ abjectio, autoritatis extenuatio, legum & mandatorum contemptus; quæ ipsa (præsertim quoad ultimum gradum) si subditorum animis insederint, seditionum semina parata noveris, indeque, publicum statum turbatum iri, haud obscure collegeris. Ita cum apud Carthaginenses in mediâ prosperitate nec legibus, nec virtuti locus esset ullus, certissima interitus fuere indicia: ut necesse fuerit, paulò post ab altissimo honorum gradu præcipientes deturbari, & Romanis inservire. Et ne in longiorem discursum nos diffundamus, accommodamus huc illud Pontani, exclamantis: *Quod si qui unquam gigantes fuerunt,*
*y fu-**

802
ij fuisse videntur, qui legibus rebellantes, respublicas occupare conati sunt. Hi Cyclopes & Lastrigones, hac monstra teterrima, & dira illa pestes Erebi: queis nomina mille, mille nocendi artes.

46. Dissensionibus & seditiōibus civilibus omnium confessione nihil pejus est, quippe quibus omne sanctum & sacrum profanatur, omnibus sceleribus porta aperitur, & reipubl. hostibus exoptatissima opprimendi occasio suggeritur. Imò verò accidit, ut, cum mutuis certaminibus utrinque vires fractæ sunt, postea vel sine externis hostibus digladiantes dissipentur. Græci, qui toties victores extiterant, & palmam contra innumerabilem Xerxis exercitum reportaverant, ob domestica dissidia à Philippo Rege Macedonum subacti sunt. Tessa urbs, civili sanguine exhausta, parvo negotio à Fessarum Principe subjugata est. Genuenses, qui cuncta quondam maria pervagati, relictis clarissimis ubique victoriarum monumentis, cæteras gentes omni tempore navali gloriâ superaverant, cum domi seditiosi atque discordes esse cœpissent, sævissimis factionum fluctibus agitati in Stortianorum clientelam concedere adacti sunt. Anno Domini 990. Mediolani ingens seditio exarsit, quæ civitatem in duas partes distraxit, in Nobilitatem & plebem: quo veneno semel infecta nunquam postea planè invaluit. Motâ seditiōe à rusticis Anno 1525. ad quinquaginta millia seditiosorum passim occubuerunt. Felicem illam Civitatem, quæ exitiali hoc veneno nunquam tentata est, nunquam tentanda.

47. Hactenus Causæ internæ, tam communes, quàm propriæ: sequuntur jam externæ, quarum duæ sunt, altera latens seu occulta, ut fraus; altera patens seu aperta, ut bellum ab hoste illatum.

48. *Fœcundum in fraudes hominum genus;* concinnè pronuntiavit Silius. Idque ut in privatis familiare est, ita in publicis familiarissimum. Videmus jam gubernatoribus, jam universæ civitati fabricatas insidias, paratos dolos, consutas technas. Expertus est Jonathas à Tryphone; 1. Maccab. 12. expertus Simon à Ptolemeo, c. 16. experti innumeri. Fraudibus & fallaciis libertatem patriæ eripuit Clearchus Heracleota; fraudibus Ægyptum occupavit Antiochus Epiphanes, cum speciosum

Sil. l. 2.
vers. 498.

1. Macc. 12.
39. sequit.
16, u sequ.

sum tutoris titulum sibi sumeret: & Philippum Macedonem magis de astu Imperatorio & successu, quem in conciliandis hominibus habuisset, quam de copiis & auxiliorum viribus gloriari solitum, refert Historicorum haud postremus, Diodorus l. 16. Nec dubium esse potest, etiamnum dari plurimos, qui, cum ad bellum & certamen aperte committendum prorsus timidi, animoque imbecilli sint, ad urbes urbiumque rectores clam surripiendos & illaqueandos insidiatores existunt callidissimi; quo olim de Arato Plutarchus annotavit.

49. De bello convenienter usurpaverimus illud Erasmi, quo dixit: *Ut Diana Ephesia templum viginti annis à tota Asia tot Regum impendio, tot artificum ingenis confectum, Herostratus obscurus homo poterat exurere: ita facillimum est, urbes egregias bello demoliri; at adificare difficillimum.* Addimus: non solum urbes egregias; sed etiam Urbium incolas & republ. florentissimas. Quod si quis negaverit, eum ad Hierosolymam, ad Corinthum, ad Babylonem, ad Tyrum, vel, ut rectius dicamus, ad Anticyras mittendum judicamus, tenentes firmiter, tempus in hoc demonstrando non majori infami utilitate, quam si quis ignem calidum, aquam humidam, Solemque lucidum operose demonstrare contenderet.

50. Atque hæc sunt caulæ nobiliores, si modò nobiles dicendæ sunt, quibus republ. in maximum discrimen vocari, ad quas etiam cæteras, quas non attigimus, reduci, vel certè dijudicari posse statuimus. Nihil amplius restat, quam ut dictas pestes omni, quo possumus, studio fugiamus, & à patriâ nostrâ, quisque suo loco, arceamus: ita fiet, ut, inventâ morbi causâ, ipsa curatio inventa habeatur.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum!

Errata sic corrige.

*Thef. 13. lin. 8. lege quot pro quod. Thef. 15. lin. 10. lege seditionesq.
Ibid. lin. 13. lege satis pro sa is. Ibid. lin. 14. lege & pro r̄, Thef. 17. lin. 9.
lege, non in aëre. Thef. 28. lin. 7. lege in summa. Thef. 29. lin. 3. lege
concoctio.*

05 A 2212

ULB Halle


3

003 783 804



VDM
Gly





Disputatio Politica
De
**CAUSIS MUTA-
TIONUM RERUM PUBLI-
carum, quas vocant violentas,**

quam,
Omnis boni ordinis Conservatore adjuvante,
PRÆSIDE

Dn. M. MICHAELE WENDLERO.

publica disquisitioni subjicit
MICHAEL STELTZNERUS

Gajerâ-Misn. Elect. Alumn.
ad d. 17. Sept. hor. pomerid.
in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI
ANNO M, DC. XXXVI.

791.

